

gis, mihi que faciendum incumbit? Nonne si  
 ea omnia, quæ indies mihi præstas, meique  
 causa operaris, e contrario paucula illa quæ  
 tibi reddo, obsequia perpendantur; tu ser-  
 vus quodammodo, ego Dominus videri pos-  
 sem? cum ea quæ mihi præstas, & numero,  
 & magnitudine infinite superent ea, quæ ti-  
 bi exhibeo. Ah quale monstrum hominis sum,  
 qui & naturæ & rationis ordinem inverto,  
 volens, ut tu Deus meus semper bonum me-  
 um promoveas, quin ego boni ac gloriæ tuæ  
 rationem habeam; tu mihi servias, ego vero  
 ab omni servitio liber & exemptus sum! O  
 cum tuus esse cupiam in æternitate, cur tuus  
 esse nolo in tempore, totum me impendens  
 tuo servitio, totum tradens tuæ voluntati? &c.

---

## CONSIDERATIO IV.

### *De Dominio DEI.*

Deus supremus Dominus 1. titulo ex-  
 cellentiæ. 2. titulo independentiæ.  
 3. titulo nostræ indigentæ.

**P. I.** *Deus Supremus Dominus titulo excel-*  
*lentiæ.* Uti Deus per essentiam suam  
 supremum & unicum bonum est, ita & per  
 essentiam suam supremus & unicus dominus

fit necesse est: tam enim proprium ipsi esse dominum omnium, quam insitum naturæ ejus est esse Deum, summumque bonum, cum impossibile sit, ut sit Deus, quin pariter emineat super omnia, adeoque omnia ipsius subiecta sint imperio ac potestati. Finge aliquid Deo superius, hoc ipso in Deo rationem Deitatis destruis; cum Deus aliud esse non possit, quam ens supremum, omnia antecedens, super omnia eminens, & infinite elevatum, altius omnibus, quæ extra ipsum concipi possunt; finge similiter aliquid Deo ejusque potestati non subiectum, an non rursum hac ipsa fictione, rationem essentiaæ supremae illi adimis, cum aliquid in rerum natura fingas esse, aut esse posse, ab eo non dependens, & in quod exercere non possit absolutam suam potestatem ac jurisdictionem? Ut proinde, uti non esset, supremus omnium Dominus, ita nec Deus. Ex quo consequens est Deum solum esse stricto jure dominum; *Ego Dominus, & non est alter.* Is. 45. nec alium collegam, minus superiorem habere posse, *Tu solus altissimus.* Ps. 82. Reges equidem ac Principes titulo Domini gloriantur; at quale illo um dominium? quam debile, quam imperfectum, quam angustum, instabile & bre-

vi moriturum? Si tempus regiminis spectes, an ultra pauculos, vitæ annos extendere illud possunt? *Breves dies hominis sunt*, inquit Jobus. c. 14. his terminis clauditur quidquid est humanæ facultatis ac potestatis: si subditorum numerum; nonne intra Regni sui angustias ita arctantur, ut ne in unicum hominem, alienæ ditionis quidquam jatis præterdere possint? Quid præterea dominii in animas ipsis competere potest, liberumque subditorum suorum arbitrium? cum ne in fortunas quidem ac corpora eorum plenum absolutumque dominium possideant? Ad hæc; quæ ipsorum curæ & cædia, molestiæ & pericula in tuenda conservandaque auctoritate sua; quibus non indigent suorum servitiis ac subsidiis, ut contra exterorum arma aut æmulorum invidiam solium suum firment? Ut proin omnis illa dignitas & potestatis amplitudo, quam præferunt, splendida potius servitus videri possit. Quamquam præterea Regum imperium ac dominium ipsis non prærogativa quadam naturæ conveniat, sed aut consensu populorum, aut hæreditaria successione, vel denique armorum potentia illud sint adepti. At quam longè alia omnia in Deo, si dominium ejus spectetur; cum illud

se



se extendat in omnes sine exceptione creaturas non solum ratione præditas, ejusve usu carentes, imò sensus omnis expertes, easque tam præteritas, quam præsentis, & futuras; sed & possibiles, cum ad ejus nutum se sistere cogantur: *Vocata enim sunt stelle, & dixerunt, adsumus.* Baruch. 3. Quam præterea dominium illud diuturnum, utpote ante tempora & æternum, ac sine fine duraturum? *Dominus regnabit in æternum.* Exod. 5. *Dominatio tua in omni generatione & generationem.* Ps. 144. Quam stabile & inconcussum, cum ne portæ quidem inferi adversus illud prævalere valeant? Quom ab omni cura liberum, contraque omnes casus firmatum, cum Divinæ sapientiæ, providentiæ ac omnipotentia ceu firmissimis basibus innitatur? O vere admirabile dominium, fundamentum in infinita excellentia, & eminenti dignitate Divinæ naturæ; sustentatum ab infinitis ejus perfectionibus; extendens se in omne tempus, totamque æternitatem, in omnes res creatas ac possibiles; in omnem locum ab altitudine cæli usque ad profundum abyssi! Quis non profundissime adoret, simulque metuat tam absolutum ac præpotentem Dominum, cui ipsi Seraphini ac Cherubini cum

tota curia cælesti summa cum reverentia sub-  
sternunt coronas suas, in testimonium, quod  
se servos ac mancipia profiteantur supremi  
hujus domini, eique soli debeant omnia,  
quæ possident? An non proinde summa fa-  
tuitas mea, quod cum natura & conditione  
status, illis cæli Principibus comparari mini-  
me possim, subesse tamen detrectem tam su-  
blimi Domino. Ah novi Domine, quod nec  
dominium tuum abdicare ipse possis, nec  
ego valeam illud excutere, quodque tota  
æternitate victima futurus sim omnipotentis  
dominii tui: & tamen tam excus ac demens  
sum, ut nolam sponte & libere, ad quod vel  
invitum coget ineluctabilis necessitas: an er-  
go similis esse volo infelici Lucifero, qui, quod  
subesse noluit imperio gratiæ tuæ, subesse  
æternum cogetur imperio tuæ justitiæ; aut  
impio illi Antiocho, qui non ante, quam ex-  
periretur vindicem manum tuam, fateri tan-  
dem coactus fuit: *Justum est subditum esse  
Deo.* 2. Mach. 9. O si agnoscerem felicitatem  
eorum, qui suavi jugo tuo humiliter humeros  
supponunt? &c.

P. 2. *Titulo independentiæ.* Nullus magis sui  
juris, nullusque magis dominus, quam qui  
suis ex affe est, agens, quodcumque voluerit,  
quin

quin ab ullo impediri possit; qui proinde nullius subjacet imperio, a nullius pendet arbitrio ac voluntate, nullius potentia aut ope, nulliusque consilio aut favore indiget. An majus & excellentius dominium, quam ita independens ab omnibus, ita supereminens ac transcendens universa, concipi potest? At nonne hoc ipsum dominium Deo, & quidem soli convenit? Cujusnam imperium vereretur, *sub quo curvantur, qui portant orbem?* Job. 9. A cujus penderet arbitrio, qui propria autoritate rebus omnibus ac singulis suam definit mensuram, suam sphaeram, certosque limites constituit, quos intra contineantur? Cujusnam indigeret potentia, qua suum fulciat ac sustentet imperium, cujus imperium suapte natura æternum, & potentia omni ex parte infinita est? cujus ope, aut subsidio qui omnibus affluit, imo dives in omnes, dat omnibus affluentem? Cujus consilio, quis enim ut inquit Isaias c. 13. *Consiliarius ejus fuit, & ostendit illi? cum quo inivit consilium, & instruxit eum, & erudit eum scientiam, & viam prudentie ostendit illi?* Cujus denique favorem, amicitiam, & gratiam quærat, cum sit ipse Deus omnis gratiæ; 1. Pet. 5. cujusque thronum omnes adire debent,

ut



ut misericordiam consequantur, & gratiam  
 inveniunt in auxilio opportuno. ad Hebr. 4.  
 Dum e contrario omnis Principum terrenorum  
 potentia ac felicitas suorum subditorum  
 fidelitati, servitio, ac fortunis, prudenti ac  
 sagaci Ministrorum consilio, vicinorumque  
 Regum favori ac amicitia maxima ex parte  
 innitur; quibus conruentibus eorum pariter  
 imperium corrui: ut mirum non sit, quo  
 iam ad offerenda munera, alias ad petenda  
 connubia, & fœdera sancienda, non raro  
 etiam ad subdolas artes confugiant; ut regni  
 incolumitati, firmandoque sceptro suo pro-  
 spiciant. His omnibus præfidiis haud qua-  
 quam indiget Deus, utpote in se ipso suaque  
 excellentia abunde inveniens, quidquid ad  
 dominatum suum in omnia exercendum,  
 æternumque conservandum, requiri potest.  
 Adhæc quid minus alteri obnoxium esse po-  
 test, quam prima omnium origo? Si enim  
 omnes effectus dependent a causa, nulla causa  
 ab effectu, prima omnium causa a quo depen-  
 dere posset? ut proinde Deus nullum agnos-  
 cere, aut habere unquam potuerit, aut possit  
 se superiorem, nullum tibi æqualem; sed  
 omnes infinite se inferiores, a quibus non le-  
 ges accipere potuit, sed iis omnibus pro im-  
 petio

perio dare debuit, utpote sibi ex natura sua per omnia subjectis. Quantum igitur necesse est thesaurum omnium honorum in se complectatur; qui solus sibi ipsi plenissime sufficit ad omnimodam non solum felicitatem propriam, absolutissimumque in omnia dominium, sed & locupletandos omnes sibi subjectos: quin ipsis eorumque opera ulla in re indigeat, imo quin aliud ab iis recipere possit, quam quod ipsis gratuito donavit? O igitur fons & origo honorum omnium? Quis prior dedit tibi & retribuetur ei? Quis assistit tibi in condendo mundo, nisi tu ipse, tuaque infinita sapientia, quæ pariter assistit & æternum assistet in eodem conservando, ac sapientissime liberrimeque gubernando? Quis adjuvit spiritum tuum, cum mensus es pugillo aquas & calos palmo ponderasti: cum librasti in pondere montes & colles in statera, Is. 40. nisi dominans in omnia voluntas tua, cui nihil resistere potest? qua alia potentia usus es, qua rebus omnibus suam naturam, virtutem, ac pulchritudinem tribuisti, quam pariter tua propria? Quibus aliis adminiculis tibi opus fuit, ad omnia mirabilia tua perficienda, quam quæ ex inexhaustis thesauris tuis deprompsisti? O quantum mihi gratulari debeo,



debeo, quod tanto domino serviam, qui & sibi, & mihi, & omnibus abundantissime sufficit, quique me felicissimum reddere potest, quin ego vel minimam atomum ejusdem felicitati adjicere possim; qui insuper meam indigentiam, vilitatem ac impotentiam minime despicit, sed potius suam celsitudinem supremamque potestatem ad mihi quodammodo serviendum demittit, meque his bonis, beneficiis ac charitate potentissime trahit & allicit, ut ex servo dominum, ex extraneo filium faciat ac heredem! O quanta felicitas & dulcedo tali subesse imperio? &c.

P. 3. *Titulo nostra indigentia.* Ipsa extrema inopia tua, quæ te cogit ad recuperandum semper ad Deum, & expectandum ut aperiat liberalem manum suam, & impleat te benedictione, quid aliud probat, quam ipsum esse Dominum, te servum: ipsum non pendere ex te, te vero pendere ex ipso; ipsum non indigere tuo subsidio, te vero ab ipsius gratia & liberalitate ubique & in omnibus auxilium præstolari debere. Instinctus ille naturæ, qui te in quacunque necessitate compellit ad implorandam ejus opem, nonne fundatur in confessione tacita propriæ infirmitatis, in ferenda tibi ope; supremæ contra ipsius potestatis, qua possit omnibus tuis malis remedium af-

terre? Et nonne hic ipse instinctus naturæ conformis est veritati & lumini rectæ rationis? Quid enim magis dependet ab alio, quam quod neque sine alio tanquam sui principio esse, neque sine ipsius conservatione perseverare, neque sine ejusdem in fluxu continuo quidquam operari, imo ne passum promovere potest? Jam vero annon ita tu totus a Deo pendes: quid enim ad hæc omnia ex proprio, & sine Dei ope ac potentia contulisti? Uti facere non potuisti, ut esses, nec impedire, ne esses; ita neque Deum obligare unquam potuisti, aut poteris, ut te existentem potius conservet, quam non conservet; ut ad agendum tecum potius concurrat, quam non concurrat: cum hoc non minus, quam illud ab ipsius libertate plenissime depeadeat. Quod si ad statutam tuam adjicere non potes cubitum unum, nec ad dies vitæ tuæ vel unicum momentum, an plus aliquid ex tuo conferre poteris, ut aut sis, aut sine Deo, vel ipso invito quidquam operari possis? Hæc autem naturæ tuæ congenita impotentia & indigentia, quam necessaria, atque ineluctabilis est; cum nihilum non tantum ex se nihil possit, sed nec ab alio quidquam petere minus exigere possit? Quam universalis; cum

ad omnia quæ in te sunt, necessario se extendat? Quam perpetua; cum uti in omnibus, ita semper Deo indigeas, tanquam solo & primo principio, operante omnia in omnibus? Statua equidem, quam diu in manibus sculptoris est, ab eo quoad formam & figuram exteriorem, quam ei tribuit, dependet; at postquam ultimam ei manum applicavit, ejusdem scalpri & arte amplius non indiget, conservans in se formam, quam semel accepit. At quæ creatura in vel sub cælo est, quæ licet essentiam suam a Deo acceperit, non indigeat amplius omnipotenti Dei virtute, ne in id, quod ex natura sua est, ideoque naturali etiam inclinatione propendet, in nihilum scilicet relabatur? Non major certe affinitas corpori nostro cum pulvere & cinere, ex quo formatum est, quam toti naturæ nostræ cum nihilo, ex quo extracta est: sola eam sustinet omnipotens manus, a qua condita, quæque eam supra nihilum veluti suspensam tenet, ut proin ea subtracta, ad nihilum ceu centrum suum naturale necessario relabatur. *Quomodo enim ut merito sapiens, c. II, posset aliquid permanere, nisi tu voluisses; aut quod a te vocatum non esset, conservaretur? Quod si nunc, anima mea! tanta tua dependentia a Deo*



Deo in ordine naturæ, quanta erit in ordine gratiæ, quæ vires & exigentiam omnem naturæ excedit? Quid minus tuum esse potest, quam quod meræ gratiæ ac beneficentiæ est? At nonne quidquid bonorum supernorum possides, meræ liberalitatis Divinæ, adeoque puræ gratiæ est; cum ad statum supernum, donaque huic statui congrua, nulla pura creatura quidquam juris habere unquam poterit; totusque ordo providentiæ Divinæ quoad hunc statum fundetur in sola liberali promissione Divina, absque ullo titulo debiti & justitiæ ex parte Dei, aut exigentiæ cujusdam vel juris ex parte creaturæ? Cum ergo tantopere in omnibus dependeas a Deo, ut fateri cogaris cum Propheta, *Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meæ: Ps. 30.* cum totus quantum subsis ejus perfectissimo dominio & dispositioni; cumque vel ideo omnia illi debeas, quæ possides & vales; ac tantopere obligatus sis Deo in ordine tam naturæ, quam gratiæ; quomodo vicissim possit tot titulos, quibus obstrictus es Deo, tuo ergo illum officio satisfacis? quam gratum te præbes pro acceptis? quibus obsequiis demereri conaris tanta in te beneficia? quam obsequentem te præbes divinis mandatis,

contestans non solum animo, sed & ipso opere  
 & facto subjectionem, quam naturæ tuæ con-  
 ditio, summaque Divinæ opis indigentia exi-  
 git? Si quotquot ex hominibus pendent,  
 fideles esse tenentur; suamque probare sub-  
 jectionem, quanto magis qui pendent, a Deo  
 & quidem indigentia infinita, universali,  
 æterna in omnibus & singulis, & in hac & in  
 altera vita? Ah Domine da ut agnoscam, quæ  
 & quanta tibi debeam, multoque autem ma-  
 gis, ut quæ debeo, præstem, fidelis non tan-  
 tum verbo, sed & opere ac veritate! Utere  
 etiam potestate & autoritate, quam in me  
 habes indefinitam & supremam, prout pla-  
 cuerit sanctissimæ voluntati tuæ. Dominare  
 cordi meo, illudque plenissime tibi subijce,  
 ut tuæ in omnibus conformetur voluntati.  
 Dominare inclinationibus, meisque animi  
 affectionibus, earumque tempestates & fluctus  
 mitiga, ut sub suavi tuo conquiescant impe-  
 rio. Dominare vitæ & actionibus meis, ut  
 nec vivam nec agam nisi propter te, & ex stu-  
 dio tibi unice placendi, nec permitte, ut mihi  
 quidquam dominetur præter te, qui solus es  
 dominus, nec ut alteri serviam, quam tibi; cui  
 soli servire regnare est. O quam triste, si filii  
 Dei incurvent genua sua coram Baal! Esto ergo

tu solus mihi dominus, sinque ego tibi ser-  
 vus; ut hic fideliter tibi serviendo tuus esse,  
 tecumque regnare merear in caelo &c.

---

## CONSIDERATIO V.

### *De Misericordia DEI.*

Hanc ostendit 1. Christi passio. 2. pec-  
 cati remissio. 3. peccatoris ingrati-  
 tudo.

P. I. *Hanc ostendit Christi passio.* Si creditor  
 post plurima debita, mala fide a te  
 contracta, quibus extinguendis facultates  
 tuæ omnes non sufficerent, fundum tibi of-  
 ferret, & quidem ex suis propriis, e quo de-  
 bita omnia diluere nullonegocio posses, quam  
 benignum & misericordem ejusmodi homi-  
 nem non diceres, propria utilitate postha-  
 bita, soli necessitati tuæ tam liberaliter con-  
 sulentem? At quantum divina misericordia  
 illam istius creditoris excedit? Non solum  
 ipse tibi omnibusque peccatoribus fundum  
 obtulit, & quotidie offert, eumque locupletis-  
 simum & superabundantem, merita scilicet  
 infinita filii sui; ex quo nomina omnia apud  
 divinam justitiam contracta, quantumvis  
 enormia ac multiplicia, ad ultimum usque